



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

VII. De jure consecrandi Eccles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

habeo Bedam, qui *libr. 3. hist. cap. 23.* de Cedd, Episcopo Orientalium Saxonum ita loquitur: *Studens autem Vir Domini acceptum monasterii locum primo precibus ac jejuniis à pristina flagitiorum sorde purgare, & sic in eo monasterii fundamenta jacere, postulavit à Rege, ut sibi per totum quadragesimæ tempus quod instabat, facultatem ac licentiam ibidem orationis causâ demorandi concederet. Quibus diebus cunctis, excepta dominica jejunium ad vesperam juxta morem protulans, nec tunc nisi panis permodicum & unum ovum gallinaceum cum parvo lacte aquâ mixto percipiebat. Dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum, à quibus normam discipline regularis didicerat, ut accepta nuper loca ad faciendum monasterium vel Ecclesiam prius orationibus ac jejuniis Domino consenserent &c.*

CAP. VII.

De Jure consecrandi Ecclesias.

I.

DE Ecclesiis ipsis & splendidioribus istis ædificiis, quando ædificari cœperint, & num veteres Christiani ejusmodi basilicas habuerint olim primis illis seculis, quoque tempore consecrationis ritus introducti fuerint, ad nostrum institutum non pertinet, ut speciatim discutiamus. Egit eâ dere quasi ex professo Johannes Seldenus *de synedr. lib. 3. cap. 15. seq.* Sufficit nobis ad Constantini Magni tempora respicere, quippe quibus non tuta tantum, sed & honorata facta fuit Religio Christiana. Eo autem regnante consecrationes Ecclesiarum multâ cum solennitate peractas fuisse testis est Eusebius *lib. 10. hist. c. 3.* Posthæc votivum nobis ac desideratum spectaculum præbatur, dedicationum scil. festivas per singulas Urbes & Oratoriorum recens structorum consecrationes; ad hæc Episcoporum conventus, peregrinorum ab externis & procul disitis regionibus concursus: populorum mutua inter se charitas ac benevolentia &c. Ceremonias autem tum temporis adhibitas mox addit, & his verbis explicat: *Jam verò antistitum absolutissime ceremonie & accurata sacrificia Sacerdotum & divini quidam augustiq; Ecclesie ritus; hinc psalmos canentium & reliquas nobis divinitus traditas voces auscultantium; illinc divina & arcana obeuntium ministeria. Mystica quoq; salutaris passionis symbola tradebantur. Deniq; omnis etas & promiscua utriusq; sexus multitudo, toto pectore precationibus & gratiarum actionibus incumbens, cum summâ animorum letitiâ DEUM honorum auctorem venerabatur. Sed & Ecclesiarum antistites, quotquot aderant, panegyricas habebant orationes, & quantum quisq; ingenio poterat, conventum laudibus extollere studebant.*

II. Idem

II. Idem Eusebius, seu quisquis autor est librorum de vitâ Constantini lib. 4. c. 43. 44. 45. refert, quâ ratione ad dedicationem Ecclesiæ Hierosolymitanæ ex omnibus provinciis conuenerint non Episcopi tantum, sed innumerabilis etiam aliorum hominum multitudo. *Aderat, inquit, porro his omnibus regalis cuiusdam apparitionis obsequium, & ex imperii palatio missi quidam spectate probitatis Viri, qui sumptibus ab Imperatore subministratis festiuitatem illustrarent.* Quid autem actum fuerit in tantâ festiuitate, præsertim ab Episcopis, Eusebius describit his verbis: *Hic igitur (Marianus ab Imperatore præfectus) omni cum sinceritate Imperatoris iussibus obsecutus Episcoporum quidem cætum singulari comitate & magnificentissimis epulis atq; conuiujs honorificè excepit; egentibus verò ac nudis & pauperum utriusq; sexus infinite multitudini, cibi ac reliquarum rerum inopiâ laboranti, magnam pecunie vim & plurimas vestes distribuit. Postremò basilicam omnem regalibus donarijs magnificè exornauit. At Sacerdotes DEI partim precationibus, partim sermonibus festiuitatem ornabant. Alii siquidem comitatem religiosi Imperatoris erga omniium Seruatorem laudibus celebrabant, & Martyrii magnificentiam oratione persequerantur. Alii sacris Theologiæ dogmatibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spirituale quoddam epulum audientibus præbebant. Quidam sacrorum voluminum lectiones interpretabantur, arcanos & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui verò ad hæc aspirare non poterant, incruentis sacrificijs & mysticis immolationibus DEUM placabant, pro pace communi, pro Ecclesiâ DEI, pro Imperatore tot bonorum autore, ejusq; piissimis liberis, preces DEO suppliciter offerentes. Ibi nos quoq; quibus majora, quàm pro meritis nostra bona contigerant, varijs sermonibus publicè habitis solemnitate decorauimus; nunc regalis fabricæ decorem ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc prophetorum Oraculorum sensus aptè & accommodatè ad presentes figuras atque imagines interpretantes. Hoc modo dedicationis solennitas ipsis Imperatoris tricennialibus summâ cum hilaritate celebrata est.*

III. Hæ fuerunt ceremoniæ tum temporis usitatæ, simplices admodum, & verâ pietate omnium pectora imbuentes, quibus hodiè in Ecclesiâ Latinâ additæ sunt haud paulo plures, non tam pietatem, quàm superstitionem redolentes, multisque modis à pristinis illis abeuntes. Sola scilicet hymnorum cantio, Scripturarum publicè prælectarum & explicatarum auscultatio, Eucharistiæ participatio, precum sermonumque sacrorum recitatio totam festiuitatem absoluebant. Successu temporis addita fuerunt alia, quæ splendidiorum quidem, non meliorem tamen fecerunt Christianorum cultum. Et sunt enim perquam multi, qui in externâ talium rituum & ceremoniarum observatione iustitiam & fiduciam collocant, neglectis interim veræ & internæ pietatis, quibus seruire illæ debent, officiis: neque defunt, qui præposterâ æstimatione ceremonias istas verbo divino

Y y

non

non æquant modo, sed præferunt. Et hinc illis non significandi tantum, sed sanctificandi etiam vim & virtutem tribuunt, ita ut templum per tales ceremonias consecratum divinam quãdam virtute præditum existimari debeat.

IV. Utile est, & conveniens, imò necessarium, ut fideles in loco, quantum fieri potest, commodo, ad divini nominis invocationem, auditum verbi & Sacramentorum participationem congregentur. Neque improbari potest, ut locus ille, per solennem quandam festivitatem ex communi hominum commercio segregetur, & divino cultui destinetur. Illa festivitas, ut verbi divini prædicatione, Scripturæ S. lectione, hymnorum laudibus, & Eucharistiæ communione peragatur, laudabile admodum est, & prioris Ecclesiæ institutis conforme. Poterunt etiam ceremoniæ aliquæ externæ adhiberi, quæ conspicuum magis reddant consecrationis actum, non tamen aliæ, nisi quæ ad præscriptum DEI cultum exornandum extolendumque faciunt, nec alium in finem, nisi ut sustineant imperitorum per externa signa ad notitiam rerum sacrarum vel devotionem, pædagogiam. Quod si verò vel pro cultu ipso venditentur ejusmodi ceremoniæ, vel ad vetitum verboque DEI adversum cultum inducendum ornandumque tendant, vel sub opinione necessitatis intrinsecæ, quæ earum indifferentiam tollat, præscribantur, vel pro mediis promerendi gratiam aliosque effectus spirituales producendi habeantur, tantum abest, ut recipi illæ debeant, ut potius eliminandæ, si receptæ fuerint, & prorsus rejiciendæ sint.

V. Antequam ulterius pergamus, necesse est, ut inquiramus, utrum consecratio Ecclesiarum tam necessaria sit, ut antequam ea facta fuerit, sacra peragere in iis neutiquam liceat? Videtur autem decisio hujus questionis peti posse ex historiã Athanasii, cui crimini datum fuerat, quod conventum habuisset in magnâ Ecclesiã, antequam consecrata ea & consummata fuisset. Augebatur inculpato ex eo, quod majestatis læsæ crimen subesse videretur; consecrationem enim Ecclesiæ sine Imperatoris mandato fieri nec posse nec debere, & conventum illum non videri absimilem dedicationi aut consecrationi. At verò crimen ita ab adversariis impatum eleganter & solidis rationibus diluit Athanasius *apol. ad Constantium Imp. Festum paschatis erat, & populus valde multus, tantoq; numero, quanto per singulas Urbes esse voleant Christianorum Reges. Cùm igitur pauca minimaq; essent Ecclesiæ, conventum in magnâ Ecclesiã fieri, ac ibidem universos pro tuã etiam salute, prout factum est, preces fundere petentium, tumultus non parvus erat: cùm verò hortarer, ut interim differrent in aliisq; etiam cùm pressurã, ut ante contigit, congregarentur, non obtemperarunt, sed Urbe excedere, & in desertis locis ad Solem convenire parati fuerunt, viæ fatigationem ferre, quàm cum tristitiã festum agere satius ducentes.* -- -- Pro gaudio tristitiam, pro letitiã lu-

rum,

Etum, pro festo planctum populis esse non decuit, quandoquidem me vel maxime patrum exemplar habere sciebam. Nam beate memorie Alexander, cum alia loca angusta essent, nuncupatamq; Theona, que tunc Ecclesia major habebatur, edificaret, ibidem propter multitudinem collegit, nec collectam agens edificii curam abiecit. Id ipsum apud Treviros & Aquileja factum vidi. Ibi enim in festis cum adhuc edificarentur loca propter multitudinem conventus fuit, nec talem ibidem accusatorem nacti sunt pii. Imò beate memorie frater tuus cum talis Aquileje collecta fieret, cum aliis convenit. Id ipsum etiam feci, nec Encenia fuerunt, sed collecta ad preces; admisisse igitur populorum alacritatem, mibiq; tanti populi preces non prohibenti condonas. Ego verò hanc de re rursus obtrectatorem rogatum velim, ubinam populum preces fundere legitimum fuerit, in desertis, an verò in orationis, qui adhuc edificatur, loco? -- -- Ab omnibus fusa de tuâ salute preces Enceniorum celebritatem non impediunt, ne id imperiti mentiantur, sed à patribus discant, Scripturasq; legant, imò à te, studiosus enim es, discant, Jesum Josedeci filium Sacerdotem fratresq; ejus Zorobabelem Selabielis filium sapientem, Esdram quoq; Sacerdotem & legis scribam, cum templum post captivitatem edificaretur, instaretq; tabernaculorum solenne (festum verò erat, & conventus & precatio magna in Israële) populum in spatio primo ad Orientem siti vestibuli loco unanimiter congregasse, DEI altare preparasse, ibidemq; oblationes fecisse & festum celebrasse, ac de cetero sacrificia, que singulis sabbatibus & noviluniis immolanda erant, ipsosq; populos preces suas obtulisse. Manifestè Scriptura hæc facta dicit, nec dum templum edificatum fuisse, imò his ita precantibus domum, que edificabatur in majus auctam, nec ob Enceniorum expectationem inhibitas preces, aut ob conventus orationum causâ factos impedita Encenia, sed populum sic precatum, ac tum cum domus tota consummata est Encenia fecisse &c. SuffICIENTER hæc demonstrant, non esse absolutè necessariam consecrationem Ecclesiæ ad cultum divinum peragendum, & posse adeò in locis etiam non consecratis sacra fieri.

VI. Id verò insuper discimus ex hoc Athanasii loco, non licuisse olim Encenia celebrare, & consecrationis festivitatem instituere sine mandato & autoritate Imperatoris. Idque adhuc clarius docet Athanasius, dum ait: Nequaquam Enceniorum diem celebravimus, religiosissime Auguste, hoc enim ante præceptionem tuam verè nefas fuisset, neq; consultò eò devenimus; nec Episcopus ullus aut Clericus alius eo nomine vocatus est, imò nec ex denunciatione ullâ synaxis acta est. Atque inde confecerunt ejus adversarii crimen læsæ majestatis, quod scilicet sine prævio Imperatoris mandato Encenia celebrasset Athanasius. Jus tamen istud Regium, vel indultu, vel conniventia Imperatorum, vel etiam usurpatione Pontificum in Romanam Sedem translatum sequentibus temporibus fuisse, patet ex rescriptis Gelasii apud Gratianum c. 2. 3. 4. de consecrat. dist. 1. quibus severè prohibitum fuit, ne quis

sine præcepto & autoritate summi Pontificis Ecclesiam noviter conditam consecret.

VII. Ista tamen Pontificis Romani præsumpta autoritas non videtur in Galliis observata fuisse. Sanè detestati fuerunt Præsules Galliæ factum Pontificis, quod is Cardinalem Legatum à latere misisset, ut suo nomine basilicam noviter ædificatam consecraret, excluso ordinario loci Archiepiscopo Turonensi. Rem gestam refert Glaber Rudolphus *lib. 2. hist. c. 4.* cujus verba, etsi prolixiora non pigebit hic adscribere: *Fulco, inquit, Andegavorum Comes ædificavit Ecclesiam admodum pulcherrimam in pago Turonico milliario interposito Alveacense castro. Expleto deniq. quantocyus basilicæ opere, protinus misit ad Hugonem Turonorum Archiepiscopum, in cujus scilicet constituta erat diœcesi, ut illam sacraturus, quemadmodum decreverat, adveniret. Qui venire distulit, dicens, se minime posse illius votum dicendo Domino committere, qui videlicet matri Ecclesiæ sedis sibi commissæ prædia & mancipia surripuerat non pauca. -- Fulco mox copiosâ argenti & auri assumptâ pecuniâ Romanam pergens ac Johanni Papæ causam suæ professionis exposuit. At deinde poscens, quod ab illo optaverat, plurima ei munerum dona obtulit. Qui protinus misit cum eodem Fulcone ad prædictam basilicam sacrandam unum ex illis, quos in B. Petri Apostolorum principis Ecclesia Cardinales vocant, nomine Petrum, cui etiam præcepit veluti Romani Pontificis auctoritate assumptâ, quicquid agendum Fulconi videbatur, intrepidus expleret. Quod utiq. audientes Galliarum quique præsules, præsumptionem sacrilegam cognoverunt ex cæcâ cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens recens in Romanâ Ecclesiâ schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is, qui Apostolicam regebat sedem, Apostolicum primitus ac canonicum transgrediebatur tenorem. Cum insuper multiplici sit antiquitas auctoritate roboratum, ut non quispiam Episcoporum in alterius diœcesi istud præsumat exercere, nisi præsule, cujus fuerit, compellente seu permittente &c. In sequentibus refert, quâ ratione illicò post dedicationem à Cardinale peractam eodem die Ecclesia ista repentino turbine impetita corruerit, & tum hanc addit *Trincavellus*: Quod cum multi per regionem factum comperissent, nulli venit in dubium, quoniam insolens præsumptionis audacia irritum constituisset votum, simulq. presentibus ac futuris quibusque, ne huic simile agerent, evidens indicium fuit. Licet namq. Pontifex Romane Ecclesiæ ob dignitatem Apostolicæ sedis ceteris in Orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ Pontifex ac sponsus propriæ sedis, uniformiter speciem gerit Salvatoris, ita generaliter nulli convenit quippiam in alterius procaciter patrare Episcopi diœcesi.*

VIII. Cùm ergo ista Pontificis Romani insolentia non Gallis tantum, sed gentibus etiam aliis odiosa esset, non potuit ista ejus *votiva* aliquam ha-

habere efficaciam, quod nec comprobaretur moribus utentium. Cumq; adeo consuetudo contraria ubique recepta esset, dubia redditur Glossa, quid de canone 3. & seq. de consecrat. dist. 1. statuere debeat. *Hæc quinq; capitula*, inquit, *non tenent hodie, vel fuerunt localia, vel casualia: Vel exaudi de Ecclesiâ Episcopali, licet contradicat finis illius* Sc. Rectius dixisset, Gelasium quidem talem prærogativam affectasse, & sibi tribuere voluisse, sed ab Episcopis impetrare non potuisse. Utrum autem potestas hæc consecrandi Episcopis semper propria fuerit, an verò cum presbyteris communis, aut saltem presbyteris ab Episcopo committi potuerit? non adeo certa præsto sunt testimonia. Certè prohibitio, quæ extat in *can. 43. Concilii Agathensis*, & ex eo refertur à Gratiano *c. ministrare 26. q. 6.* haud obscure ostendit, à presbyteris potestatem istam aliquando usurpatam fuisse, nec alio, nisi Ecclesiastico jure axioma hoc Episcopis competere. Quò facit, quod generaliter solâ ordinatione exceptâ, statuat Hieronymus *in epist. ad Evagrium*. utriusque Episcopi scil. & presbyteri æqualem esse potestatem. *Quid enim facit*, inquit, *exceptâ ordinatione Episcopus, quod non facit presbyter?* Nec perfvaderi potest David Blondellus *apol. de Episc. & presb. pag. 285.* tot presbyteros olim ad propagandum Evangelium in peregrinas & longius disfitas terras missos, nullam habuisse potestatem consecrandi basilicas, sed aliunde consecraturum Episcopum acciri debuisse.

IX. Quicquid hujus sit, invaluit tandem hoc jus, quasi fixum & perpetuum, ut à solis Episcopis consecrationem Ecclesiarum fieri neesse esset. Et quidem, uti Ecclesia quævis noviter ædificata Episcopo, cujus est ea diocesis, subjecta est; ita etiam ab ipso illo Episcopo consecrari debet; nec alii fas est, sine ejus permissione ad hoc officium sese ingerere. Inde est, quod in mandatis Pontificis Rom. de consecrandis Ecclesiis, inserta ut plurimum reperitur conditio, si ad tuam pertinet parœciam aut diocësin, uti patet ex *c. pia mentis, Sc. seq. 16. q. 7.* Ut maximè ergò Episcopus aliquis hæc potestare polleat, extra tamen suam diocësin exferere eam nequit, & propterea si in alieno territorio novam ædificaverit Ecclesiam, non ipse, sed ejus territorii Episcopus, consecrare eam debet. Statutum ita fuit in Concilio Arauficano I. c. 10. *Si quis Episcoporum in alieno civitatis territorio Ecclesiam ædificare disponit, vel pro fundi sui negotio, aut Ecclesiasticâ utilitate, vel pro quâcunq; suâ opportunitate, permisso licentiâ ædificandi, quia prohibere hoc votum nefas est, non presumat dedicationem, quæ illi omnimodis reservatur, in cujus territorio Ecclesia assurgit: reservata ædificatori Episcopo hæc gratiâ, ut quos desiderat Clericos in re suâ videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est; vel si ordinati jam sunt, ipsos habere acquiescat. Et omnis Ecclesiæ ipsius gubernatio ad eum, in cujus civitatis territorio Ecclesia surrexerit, pertinebit. Quod si etiam secularium quicunq; Ecclesiam ædificaverit, & alium magis, quàm eum, in cujus*

territorio ædificat, invitandum putaverit: tam ipse, cui contra constitutionem ac disciplinam gratificari vult, quam omnes Episcopi, qui ad hujusmodi dedicationem invitantur, à conventu abstinebunt. Si quis excesserit, in reatum devocabitur: si quis excesserit, ordinem recognoscat.

X. Quandoquidem autem multâ cum festivitate consecrationes Ecclesiarum peragi solebant, non erit hic alienum, nonnulla commemorare, quibus feriæ illæ celebriores redditæ fuerunt. Et primum quidem ad eas invitabantur plurimi ex vicinâ Episcopi, uti patet ex locis Eusebianis supra adductis. Ita Basilius Ancyram Galatiæ ad dedicationem basilicæ à se constructæ, multos vicinarum urbium Episcopos convocavit. Sozom. lib. 4. cap. 13. Ita Eusebius, postquam ad Constantinopolitanam Sedem evehctus fuisset, concilium Antiochiæ convocavit, prætextu quidem dedicandæ Ecclesiæ, quam Constantinus ædificare cœperat, Constantius autem filius absolverat, re ipsâ autem, sicut exitus declaravit, ut decreta Nicæni Concilii abrogarent. Et convenerunt tum septem & nonaginta Episcopi. Sozom. lib. 2. c. 8. Sozom. lib. 3. cap. 5. Ita apud Fulbertum *epist. 118.* legitur eucharisticon à Pictavorum episcopo ad episcopum Andegavensium, à quo ad pretiosissimam templi solennitatem, uti loquitur, invitatus fuerat. Plurima alia in veterum monumentis occurrent exempla, quæ in remanifestâ colligere, supervacaneum est. Quin & Imperatorum aliquando invitatum docet Cedrenus in Leone Philosopho: Junio mense Constantinus Afer in monasterium suum, quod prope sanum Apostolorum condiderat, Imperatorem invitavit, ut dedicationi ejus & prandio interesset.

XI. Et quia præter eos, qui specialiter invitati erant, plurimi alii ad festivitatem istam magno numero convenire & ex variis locis undique convolare solebant, apparatu multiplici opus erat, ut dignè exciperentur, qui adessent, suâque præsentia festivitatem frequentiore & celebriore reddidissent. Apollinaris Sidonius lib. 4. *epist. 15.* Epulum multiplex & capacissima lætæ sternia para: plurimis viis, pluribus turbis ad te venit. Ita bonorum contubernio sedit: quippe postquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit. Nam baptisterium, quod olim fabricabamini, scribitis jam posse consecrari. Ad quæ festa vos voti, nos ministerii, officii multos, fidei totos causa sollicitat. Et ut pauperes quoque, qui eò convenissent, haberent, quod oblectamento esset, publicâque lætitiâ exsultare possent, non exiguas quandoque largitiones in eorum gratiam faciabant. Eoque pertinet epistola Gregorii M. ad Petrum Subdiaconum, lib. 1. *ep. 54.* Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsâ diei festivitate concurrere, propterea volumus, ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verveces duodecim, gallinas centum, quæ in tuis possint rationibus postmodum imputari.

XII. Sæ-

XII. Sæpè etiam Principes & Magnates munificentia specimen ediderunt, ut eo celebrior & illustrior dedicationis actus existeret. Repetendum hic ex historia Eusebii, quod de dedicatione templi Hierosolymitani adduxi supra. Eoque pertinent verba Theodoriti *lib. 1. c. 31.* Quosdam etiam sibi charissimos Rectores eò misit, pietate ac fide conspicuos, mandans, ut cuncta abundè omnibus præberentur, non Episcopis solum & illis, qui eos comitabantur, sed cunctis etiam egentibus, qui eo undiq, constuebant. Tale exemplum refert etiam Matthæus Westmonasteriensis ad ann. *DCCXCVIII.* de Kinulpho Rege Merciorum, cum Ecclesia, quam apud Wincelcumbam ædificaverat, dedicaretur. *In conventu, inquit, tredecim Episcoporum nullus largitatis passus est repulsam, dum singuli refectis marsupis hinc abibant. Nam præter illa Xenia, quæ optimates susceperant inestimabilis pretii & numeri, in utensilibus, vestibus, equis lectissimis, omnibus qui agros non habebant, libram argenti, presbyteris marcam auri, Monachis solidum unum, & postremo multa universo populo erogavit.* Quæ eadem verba leguntur apud autorem, qui Bedæ historiam continuavit, *lib. 2. cap. 16.* De Henrico II. Rege Anglorum & dedicatione Ecclesie Radingensis similia refert Robertus de Monte in *append. ad Chron. Sigeberti ann. MCLXV.* Circa octavas paschæ rex Henricus fecit dedicari Ecclesiam beatæ Mariæ Radingis, & per tres dies regaliter procuravit conventum monachorum & hospites. Ex his testimoniis simul constat, post consecrationem factam solenne convivium exhibitum, & opipare exceptos fuisse hospites.

XIII. In ipsâ consecratione quales observatæ primis illis Ecclesie nascentis seculis fuerint ceremoniæ supra exposui. Dixi autem additas fuisse plurimas alias, qualis est etiam illa, quod nullum omninò templum, nullumque altare consecrari debuerit, in quo non conditæ essent aliquæ sancti alicujus reliquiæ. Cœpisse istam religionem seculo demum quarto, patet ex eo, quod nullum Ambrosio vetustiorum autorem adducere possint *ei e. i. v. cas. i. c. 1.* Eum autem seculi IV. anno *XCVII.* decessisse certum est. Et quia post ea tempora non altaribus tantum, sed etiam portis Ecclesiarum reliquiæ sanctorum inferebantur, inde factum, ut specialiter altaria, specialiter etiam illæ portæ consecrarentur. Colligere id licet ex capitularibus *lib. 4. cap. 13.* ubi Ludovicus Pius hunc in modum constituit: *Si in atrio Ecclesie, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est, hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur; Si verò porta Ecclesie non est consecrata, eo modo componatur, quod in atrio committitur sicut componi debet, quod in immunitate violenter committitur.*

XIV. Qua ex ratione reconditæ fuerint reliquiæ istæ & ossa sanctorum, videri potest apud Panormitanum *ad c. 1. de consecrat. dist. 1.* Henricum Valesium *ad Sozom. lib. 9. c. 2.* Sed cum infinitæ fraudes & impostu-

ræ circa reliquias sanctorum committantur, & talia sæpè occurrant exempla, quæ pudendum in modum eam cultus partem prostituant, uti videre licet apud Amulonem Archiepisc. Lugd. epist. 1. Nicol. Camuzat. in antiq. Tricassin. pag. 338. Joh. Papon. lib. 1. tit. 1. arrest. 5. & 6. improbari nequit iudicium Georgii Cassandri, quod in consultat. de venerat. reliq. his proponit verbis: *Cum igitur veræ & comperta reliquiæ præsertim in his provinciis perpaucæ sint, & multa ex illis, quæ ostentantur, non temerè suspecta haberi possint, atq; illarum frequentatio & veneratio, non multum pietati, plurimum verò superstitioni vel questui serviant, multo consultius videtur, ut ab omni reliquiarum ostentatione absteineatur, & populus ad veras sanctorum reliquias colendas, id est, exempla pietatis & virtutum, quæ in scriptis vel ab ipsis vel de ipsis extant, imitandæ provocetur.*

XV. Inter additamenta sequiorum seculorum refero etiam dedicationem Ecclesiarum, quæ fit sanctis & martyribus, cum soli DEO olim omnes Ecclesiæ dedicarentur. De Constantino id testatur Eusebius in orat. de laudib. Constant. propè fin. Continuo igitur Servator noster victorie tropea ubiq; terrarum erexit, templisq; sanctissimis & oratoriis consecratis universum orbem de integro exornavit, & in urbibus ac pagis, in agris ac desertis barbarorum locis, fana ac delubra in honorem unius omnium Regis ac Domini dedicavit. Unde etiam Domini vocabula honorata sunt; non ab hominibus sed ab ipso omnino Domino cognomentum sortita. Ab eo quippe Dominica appellantur. Et hinc rectè Augustinus lib. 1. adv. Maximin. Nonne si templum alicui sancto angelo excellentissimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematisaremur à veritate Christi & ab Ecclesiâ DEI, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum deberetur DEO? Si ergò sacrilegi essemus faciendo templum cuicunq; creaturæ, quomodo non est DEUS verus, cui non templum facimus, sed nos ipsi templum sumus? Legerat verba hæc Augustini Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, eaque in testimonium vocat, postquam præmisisset ipse hanc thesin, lib. de imagin. n. 11. Non solum enim lapidi sacrificandum non est, sed nec ulli corporali incorporalive creaturæ, nec in alicujus honorem præter solius vivi DEI templum construendum. Floruit Agobardus circa annum DCCCXIII. & eo tempore negavit in honorem alicujus sancti ædificari debere templum.

XVI. Negari tamen nequit, jam inde à quarto seculo sanctorum nomina templis imposita fuisse. Sed nunquam illa aliis, quàm soli DEO consecrata, nec alio fine sanctorum nominibus insignita fuerunt, nisi ut ab invicem discernerentur. Unde honor Apostolis & sanctis hæc ratione habitus, non fuit religiosus, aut divinus cum fiducia aliquâ de illorum meritis & auxilio conjunctus, sed humanus & charitativus, in honorificâ eorum recordatione, & commendatione virtutum, quibus illi eminuissent, consistens.

stens. Cùm enim Christiani Martyrum gloriam ab ignominia illis illatâ, vindicatam, eorumque memoriam in exemplum conservatam cuperent; soliti fuerunt ossa & reliquias eorum in templis, vel potius intra templa in certis quibusdam adytis ac monumentis reponere, & hoc factò templa ipsa ab illis martyribus denominare. Eius igitur appellationis causa non erat religiosus aliquis cultus, sed solùm honorifica memoria piorum, quam Christiani hoc modo æternitati consecratam cupiebant. Optimè Augustinus *lib. 22. de C. D. c. 10.* dum martyres Christianorum cum de astris Gentilium confert, *Denique, inquit, illi talibus diis suis & templa edificaverunt & statuerunt aras, & sacerdotes instituerunt, & sacrificia fecerunt. Nos autem Martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias, sicut hominibus mortuis, quorum apud DEUM vivunt Spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus; sed uni DEO & martyrum & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium sicut homines DEI, qui mundum in ejas confessione vicèrunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.*

XVII. Videtur verò etiam illud inter recentioris Ecclesiæ placita referri debere, quòd ædes sacræ construi non debuerint illic, ubi mortuorum cadavera sepulta essent. Sic enim in genere præcipit Gregorius I. Papa Johanni Episcopo Surrentino *l. 1. epist. 52.* ut reliquias S. Agathæ in monasterio S. Stephani tum demum reponat, si ibi nullum corpus constet humatum. Et *lib. 2. epist. 9.* sub eadem conditione jubet consecrari oratorium à Timotheâ fœminâ in civitate Ariminensi ædificatum. In capitularibus *lib. 5. c. 48.* similis habetur sanctio, sed restricta ad sola infidelium cadavera, quam etiam sub autoritate Concilii Agrippinensis recenset Gratianus *c. Ecclesiam 26. de consecrat. dist. 1.* Ecclesiam, in quâ mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet. Sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasâ parietibus vel tignis ejus loci reædificetur. Sed si hæc consecrata ante fuerit, missas in eâ celebrare licet: tamen si fideles fuerunt, qui in eâ sepulti sunt. Nihilominus tamen circa annum DCCCL. noluit Prudentius Episcopus Hispanus consecrare Ecclesiam, in quâ præter alia, non infidelium, sed Christianorum cadavera, etiam Frodoberti Abbatis Cellensis corpus sepultum fuerat. Rem gestam refert autor, qui vitam Frodoberti descripsit, editus à Nicolao Gamuzato in *promptuar. antiq. diocesis Tricassinæ*, his verbis: *Erat per idem tempus præfatæ sedis antistes Prudentius nomine, natione Hispanus, pontificalis vitæ institutione clarissimus, in divinis rebus undecunq; non mediocriter eruditus. Is ad prædictæ basilicæ consecrationem à fratribus evocatus diligentius percunctatur, utrum inter sacrandos parietes sepulta aliquorum cadavera tegerentur. Cumq; comperisset inesse quam plurima, universa prius de templo eliminanda præcipit, contestans se non aliter consecratio-*

nis officium suscepturum, ignorabat enim adhuc prænominatus Pontifex B. Frodo-
berti meritorum eximiam claritatem temporum negligentiam obscuratam &c. Sed
enim non abhorruisse olim in sacris suis Christianos veteres à cadaveribus
piorum, vel ex eo constat, quod ad sepulchra suorum martyrum, quorum
sacrosancta erat memoria, frequentes convenire, ibique sacra peragere
consvenerunt, ita, ut aliquando cœmeteria Christianis locum ordinarium
constituerunt, in quo res divinas facerent. Unde & Imperatores quando-
que, cùm persecutiones intenderent, cœmeteria adire prorsus prohibu-
erunt. *Nullatenus vobis nec quibuscunq, aliis licebit conventus agere, aut ea,
quæ vocantur, cœmeteria adire,* verba erant Æmiliani Præfecti, apud Euseb.
lib. 7. c. 11. De Maximino Imperatore refert idem Eusebius *lib. 9. c. 2.* quod
Christianos à conventibus, qui in cœmeteriis fiebant, arcere aggressus
fuerit.

XVIII. Festa illa, quæ propter consecrationem celebrabantur, Encæ-
nia dicebantur. Augustinus in *Job. cap. 48.* Encænia festivitas erat de-
dicationis templi. Græcè enim *καινὸν* dicitur novum, quodcumq, novum ali-
quid fuerit dedicatum, Encænia vocantur. Jam & usus habet hoc verbum, si quis
novam tunicam induatur, encæniare dicitur. De templis sub Constantino in im-
mensam altitudinem erectis scribit autor Chronici Alexandrini sub *Olympi-*
piad. 274. *πλεθύντων ἐγκαινία ἐγένοντο.* Absolutorum Encænia facta sunt. In-
valuit autem consuetudo, ut festivitas illa die statò quotannis celebraretur,
& primæ dedicationis memoria solenni cultu repeteretur. De encæniis
templi Hierosolymitani à Constantino extructi Sozomenus *lib. 2. c. 26.* Ex
eo verò tempore solennem quotannis festivitatem admodum splendide Hierosoly-
mitana celebrat Ecclesia, aded ut baptismi quoq, Sacramenta eo die tradantur, &
per continuos octo dies collectæ fiant. Multiq, ex omni ferè terrarum orbe con-
veniant, qui hujus festivitatis tempore ad sacra loca perlustranda undiq, accu-
runt. Dixi, consuetudine hanc iterationem annuam invaluisse, nec enim
hic ullum produci poterit præceptum vel divinum vel ecclesiasticum. Fe-
licis IV. epistola, ex quâ fragmentum inseruit Gratianus *c. solennitates, de
consecr. dist. 1.* tota spuria & adulterina est; nec verum est, quod in eâ dici-
tur, Christum exemplum & formam dedisse encæniis. Legem enim dum
implevit pro nobis factus sub lege, haudquaquam formam dedit Christianæ
observantiæ. Neque ex eo, quod apud Judæos encænia per integros octo
dies celebrata fuerunt, Christianis, ut idem faciant, imponitur necessitas,
eum ad Christianos haudquaquam pertineant leges ceremoniales. Nec
dubito tamen, Christianos hanc in re imitatos fuisse Israëlitas, quod utique
non potuit improbari. Erant autem tria apud Judæos encænia: Templi
per Salomonem conditi: per Zorobabelem restaurati, & per Judam Mac-
cabæum repurgati. Per mensem Tisri primum celebrabant: mense Adar
secun-

secundum: Et mense Casleu, Novembri, tertium. Et de hoc statuit Judas & fratres ejus & universus populus Israël, 1. *Maccab. IV.* ut ageretur dies dedicationis altaris in temporibus suis, ab anno in annum, per dies octo, à vigesimo quinto mensis Casleu, cum lætitiâ & gaudio.

XIX. A consecratione distinguunt Canonistæ reconciliationem Ecclesiæ, & hanc locum habere volunt cum, quando Ecclesia polluta tantum est, vel effusione sanguinis, vel seminis, vel per sepulturam excommunicati. At nullam hanc in parte distinctionem facit jus Canonicum, quippe quod eo etiam casu, quando Ecclesia polluta est, consecrationem denuo fieri debere præcipit, *c. si motum, § c. seq. de consecrat. dist. 1.* cujus utriusque capituli autoritas sublestæ quidem fidei est; *κατ' ἀνθρώπων* tamen, & ubi cum Canonistis res agitur, sanctissimum suggerit testimonium. Hanc reconciliationem, perinde ut consecrationem, à solo Episcopo fieri debere, nec alii inferiori Sacerdoti committi posse, Gregorius IX. primus constituit *c. 9. §. de consecrat. Eccles.* additâ ratione, quod, quæ ordinis Episcopalis sint, non possint inferioris gradus Clericis demandari. Sed hoc ipsum est in quæstione, utrum reconciliatio talis ad ordinem Episcopalem cum exclusione reliquorum Clericorum pertineat. Addunt, in Ecclesiâ pollutâ, antequam reconciliatio facta fuerit, haudquaquam fieri debere sacra, & graviter peccare ministrum, qui in tali Ecclesiâ divina peragat officia. Sed quo jure & quâ autoritate id statuatur, incertum est, nisi quod in eam rem adduci soleat constitutio ejusdem Gregorii IX. in *c. fin. §. eod.* quæ jus istud novitum esse, & priori Ecclesiæ ignotum, haud frustra arguit.

XX. Fatentur enim verò communitè Canonistæ, non scedari aut pollui Ecclesiam per ejusmodi delicta in rei veritate, sed haberi tantum pro pollutâ, & reconciliari propter scandalum & ad fidelium exemplum atque terrorem, ut scilicet videntes Ecclesiam, quæ in nullo peccavit propter alterius culpam lavari & purificari, reminiscantur, secumque recogitent, quantum de propriis peccatis eorumque expiatione sit laborandum. Vid. Augustin. Barbosa *de off. § pot. Episcopi part. 2. alleg. 28. num. 20.* Athâc ratione mera agitur histrionia, & fingitur peccatis inquinata res inanimata, quæ pollui propter sanctitatem, quam statuunt, nullo modo potest. Optime illis objici possunt verba Optati Milevitani *ex lib. 6. contra Donatist.* Quid *§ parietes lavare voluistis, in quibus humana non possunt poni vestigia? parietes non calcare, sed tantum videre potuimus. Si § quod tangit aspectus, lavandum esse censetis, cur cætera dimisistis inlota? Videmus tectum, videmus § cælum; hæc à vobis lavari non possent. -- Cum igitur alibi quasi diligentes videri vultis, alibi negligentes estis inventi: si tamen diligentia est stultitia, § ut vero nomine appelletur, vanitas vestra, nisi fortè, quia hoc faciendo in pavorem*

miseris populos imperitos, ut quia lota est columna, lavarentur & corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis. Si talis res sine consilio gesta est, manifesta est vestra bebetudo &c.

CAP. VIII.

De Potestate ordinandi ministros Ecclesie.

I.

Potestas hæc qualis sit, & quâ ratione solis Episcopis cesserit tandem, sufficienter explicavimus *lib. 1. cap. 3.* Summa dictorum est, nihil hic præcipui habuisse olim Episcopos, quod non haberent etiam presbyteri; tandem verò illos abstulisse his istam potestatem, sibi que solis eam vindicasse, & quidem per circumventionem atque fraudes. Nec ergò ferendum est, si quis dicere velit, irritam esse ordinationem à presbytero factam, quanquam illicita esse possit, si accesserit prohibitio legis Ecclesiasticæ. At verò cum potestas illa five *δύναμις* jure divino competat tam Episcopo quàm presbytero, ut maximè *ἐξουσία* per legem Ecclesiasticam restricta sit, non tamen propterea omninò nullum erit, quod contra legem istam factum fuerit. Quemadmodum prohiberi potest, ne quis doceat publicè, qui non sit in ordine Professorum; si tamen tale quid ausus quis fuerit, doctrina ab eo tradita non poterit dici omninò nulla. Sed ista prolixius jam *d. l.* explicata repetere hic perquam erit tædiosum, cum præsertim & consuetudine introductum deinceps, & lege Ecclesiasticâ confirmatum sit, ut non nisi ab Episcopo ordinationes fierent.

II. Hoc tamen addo, per prohibitionem istam Ecclesiasticam non posse adimi facultatem ordinandi presbytero, jure divino ei competentem, nec posse adeò dici, ordinationem ab eo factam prorsus esse irritam, aut taliter ordinatum verè ordinatum non esse, quandoquidem facultas illa, quæ jure divino competit, inhiberi quidem potest, ne in exercitium transferatur, ita tamen auferri non potest, ut non sit, aut ut non efficax sit, si de facto contra prohibitionem exercita fuerit. Hoc autem constituere potest Ecclesia, ut qui ita contra prohibitionem ordinatus fuerit, sacerdotio careat, nec ad officium Ecclesiasticum admittatur, quemadmodum etiam Episcopis, quibus sine dubio & ex omnium concessione potestas ordinandi competit, si quando contra statuta majorum aliquos ordinaverint, interdiceret potest, ne deinceps potestate hæc suâ utantur. Hoc enim est, quod legitur in decretis Concilii Taurinensis *c. 3.* Proinde *judicavit Synodus, ut si quis ex hoc fecerit contra statuta majorum, sciat is, qui ordinatus fuerit,*

sacer-